



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

2. Festum dulcissimi Cordis Mariæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)



bamus, conscriptos Ven. Patri Spirituali extradamus ad benedicendum, & benedictos strenuè exerceamus. Sic crescent meritorum manipuli.

Festivitas Gloriosi, & Dulcissimi Cordis Augustissimæ Coelorum Reginae Beatissimæ & Immaculatæ Virginis Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

**Q**uam multæ sunt afflictiones, & miseriæ nostræ! O fili! pati oportet, quia Deus vult, & imperat. Non pepercit Deiparæ! Peccator se eximat! Gaudeamus sub manu Domini, & omnia, quæ sustinemus, uniamus cum doloribus Mariani Cordis. Inde & nostrum cor gloriabitur in die tribulationis.

*Instructio meritoria.*

Ut vivamus filii digni Mariâ, matrem afflictorum, per septimanam singulis Feriis VI. recolamus septem dolores quos sustinuit Cor Mariæ tenerrimum. Ideò vel compassivò Rhythmo *Stabat Mater*, vel speciali jejuniò veneremus Filium



Filium & amor, & compassio probant.

II.

**S**Tat apertum cor Mariæ! Quid vult? Dare asylum miseris Evæ filiis. Et quis huc confugerat unquam, & aditum non invenit? Sumus peccatores! Curramus ad Mariam! Non abjiciet. *Misericordia Virginis sepè liberavit, quos Justitia Filii damnare potuit.* Idiota.

*Instructio meritoria.*

In refugium ut nobis veniat Maria, *Lytanias Lauretanas* perpetuemus, memores, quàm potens Nomen in his veneremur, & suspiciamus. Est enim Nomen, coram quo omne genu flectitur coelestium, terrestrium, & infernorum. Laudemus, & laudandò gustemus, quàm suavem in coelis habeamus Dominam. Regina enim est ob largitatem. Largitur servis suis dona gratiarum; vestes virtutum; thesauros meritorum; magnitudinem præmiorum. Rich. à S. Laur.

III.

**Q**Uare tristis est anima nostra? bella premunt hostilia! Mala nos cruciant

Q 7

ciant



ciant undique humana ! Quid tum  
 Non patimur soli. Est Jesus frater ! Est  
 & Maria Mater nobiscum. Ille offert  
 sacrosancta vulnera ; Hæc materni cor-  
 dis sinum dulcissimum , ut nostras in his  
 abscondant ærumnas , & tristitias. Ac-  
 cedamus ! Pandamus omnia , & intima  
 cordis nostri exponamus. Nihil austerum  
 in ea , nihil horribile , tota suavis est.  
 S. Bern.

*Instructio meritoria.*

Quòd ita , experiamur recitando *Offi-  
 cium* de dulcissimo Corde Mariæ cum re-  
 petendo novies Cantico : *Magnificat.*  
 Simus libenter cum Maria in templis.  
 Utrique hoc non adeò difficile ? Ibi pul-  
 semus ! Ibi petamus ! En ! Gazophyla-  
 cium ! Aperietur supplicantibus ; ne du-  
 bitemus. Filius pro nobis interpellat  
 apud Patrem : Mater apud Filium. Quan-  
 tum spei fundamentum !